Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift



sunt. id est que celestibus essentiis supermundane. Non enim sola hec que posita sunt visibilia. id est suavitates. forme. lumina. discipline. ordines. eucharistia sacramentum invisibilium habent similitudinem et demonstrationem. sed et alia omnia visibilia quecumque nobis visibiliter erudiendis. symbolice. id est figurative tradita sunt et proposita ad invisibilium significationem et declarationem.

Et non sola hec visibilia que nobis symbolice tradita sunt invisibilium demonstrationem habent. sed et illa quoque que celestibus essentiis. id est angelicis spiritibus supermundane. id est invisibiliter et spiritualiter. et non secundum huius mundi species tradita sunt. signa sunt invisibilium. et imagines eorum que in excellenti et incomprehensibili divinitatis natura super omnem intellectum subsistunt et sensum.

Hoc enim est quod dicitur. quia non sola ea invisibilium signa sunt que nobis tradita sunt symbolice. sed illa quoque que celestibus essentiis tradita sunt supermundane.

Habent namque et ipsi angelici spiritus signa sua et demonstrationes. per quas de invisibilibus dei. et valde occultis et secretis absconditis intus immaterialiter et invisibiliter et simpliciter erudiuntur. Que quidem signa. quantum ad nos. et ea que apud nos sunt visibilia. invisibilia omnino estimantur. quantum vero ad illam. multum invisibilem et inaccessibilem lucem et incomprehensibilem deitatis quasi foris sunt et procedunt ab intus in demonstrationem. Propter quod et ipsa signa que superveniunt mentibus. sive animis divinitus illuminatis theophanie. id est divine apparitiones vocantur. quia in eis ad manifestationem venientibus. id quod omnino occultum est dei. demonstratur. Hec ergo sunt que celestibus supermundane traduntur. non secundum eam que apud nos est demonstrationem. sed invisibiliter et simpliciter aspirata. Multa quidem hic dicenda fuerant de hoc contemplationis genere. quoniam theophanie. id est divine apparitiones divinitus aspirate mentibus illuminandis superveniunt. et eas de occultis et invisibilibus dei. miro. et abscondito. et secreto. ac singulari modo erudiendo sapientes efficiunt.